DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS II. APRILIS MDCCXVI.

M. ALEXANDRO LE FRANCOIS, Doctore Medico, Præſide.

An quo tempore fluunt catamenia, noxia Venus?

EX alimentorum variis generibus colore, ſapore, odore plurimùm à ſe invicem diſſitis, mirùm quàm uniformis conficiatur chylus: Ex hoc in ſanguinem converſo non minùs mirum quàm diſcrepantes eliciantur ſucci. Hos ſecernunt diverſa variis in locis aptata incernicula. Glandulis ea conſtant ſic à naturâ comparatis, ut quodlibet incerniculum humorem, cui percolando dicatum eſt, tranſmittat, cœteros reſpuat liquores. Quo pacto hæc fiant, cum ſenſibus non detegatur, vix fas eſt credere id unquam cognoſcendum. Rem explanare non deſperârunt qui inter Medicos Hypotheſibus fulti, ad explicandas corporis functiones confictam adhibent mechanicen. Verùm quàm infœlici ſucceſſu! Alii in quovis colo ſuppoſuerunt fermentum, cujus interventu humor ſecernendus divelleretur à reliquo ſanguine; alii glandularum poros eâ magnitudine & figurâ donârunt, quæ particulas ſecernendi humoris ſinerent elabi, cœterarum tranſitui obſtarent; alii in quovis incerniculo crediderunt ab ipſo fœtûs primordio inditum humorem, quîcum in ſanguine contentus liquor congener ita ſociaretur, ut pervadere colum poſſet, aliis liquoribus non admiſſis; quemadmodum charta emporetica oleo primùm imbuta oleoſis particulis tranſitum præbet, quem denegat aquoſis. Sed otioſa ſunt hæc hominum ingenioſè delirantium commenta. Ut ſua habet Myſteria Religio, ſic in rerum naturâ ſunt adyta hominum mentibus inacceſſa. Tu ne quæſieris ſcire nefas. Sapientis eſt æquo animo ignorare inſenſibilem corporis mechaniſmum, quem ſupremus Artifex occultum eſſe voluit. Structuram partium ſenſibus obviam, earumque functiones conſpicuas apprimè callere ſatagit prudens Medicus; in ſcrutandis abditis non ludit operam. Secretionum Artem curioſiùs non rimatur, ſed quid ſecretionibus fiat diligenter addiſcit. Earum ope humores functionibus obeundis cùm utiles, tùm etiam inutiles à reliquo ſanguine colari novit, hos foras expellendos, illos intùs condendos; non mediocriter lædi ſanitatem ſi alterutri in ſanguine confuſi remaneant, vel ſi qui excerni debent retineantur, vel ſi quos retineri convenit, excernantur.

QUANTUMVIS boni ſint ſucci potus & cibus, plurimas continent particulas exercendis functionibus non ſolùm ineptas, ſed etiam nocituras niſi è corpore eliminentur. Undè harum fieri ſecretionem excretionemque neceſſe eſt. Renum commeatu ſerum copioſis recrementis fœtum, quod urina dictum eſt, è ſanguine ſecedit; ipſius fuligo per pulmones indeſinenter expirat; ſudor per cutem erumpit; mucus per membranam nares ſuccingentem; cerumen per cutem internæ auri prætenſam expurgatur. Tantùm eſt humores inutiles è corpore expelli, ut in ſingulis partibus non deſint cola, quæ opus adeò neceſſarium præſtent. Quaſi tot emunctoria vix ſufficianr, nonnunquam nova exurgunt; hæmorroidibus vitioſus humor excernitur; ſi quæ contingat præter naturam continui ſolutio, modò brevi non fiat coalitus partium diviſarum, eâ vulgò abutitur natura ad ſuccos inutiles pellendos. Evacuationem ſolitam ſupprimi angue pejus; mille præſtò ſunt incommoda. Retenti humores diatheſin ſanguinis evertunt; in has vel illas irruunt partes, ibique phlogoſes, vel œdemata gignunt, dolores excitant, & ſi craſſiores ſint, figuntur & in ſchirroſos concreſcunt tumores. Hinc ulcera diuturna non abſque periculo conſolidantur, niſi pravis humoribus per illa effluere conſuetis alia via per catharſin repetitam præbeatur. Non minùs pertimeſcendum clauſis imprudenter fonticulis. At longè graviora impendent mala cum humor erumpens derepente ſiſtitur: qui tunc è ſanguine ſecretus eſt, omninò depravatur circuitionis defectu, nec ſolitum repetit iter quin pravam indolem ſanguini impertiat. Hinc ſi ſudor derepente cohibeatur, peripneumoniam, pleuritidem, anginam, rhumatiſmum frequenter accerſiri notum lippis & tonſoribus.

EÆDEM fermè competunt evacuationes maribus & fœminis. His tamen peculiaris eſt menſtrua purgatio, quâ ſcilicèt uno quoque menſe cruoris ſtillicidium per vaſa uteri experiuntur. In inveſtigandâ iſtius periodici effluxûs cauſâ plurimùm inſudârunt Medici, ſed incaſſùm; latet adhuc latebitque. Diù invaluit opinio quæ menſtruam hanc evacuationem Lunæ aſcribebat: mirùm quòd error adeò manifeſtus doctas mentes tamdiù excœcaverit. Nullatenùs enim cum Lunæ motibus congruit hæc evacuatio. Noſtræ æratis Medici paulò ſubtiliùs rem perſcrutati, alii fermentum aut in ipſo utero aut in ſanguine, alii plethoram, quidam ſemen in propriis vaſis rurgidum cauſati ſunt; meræ conjecturæ; nullâ ex parte rationes ſat firmæ afferuntur, quæ Medicum prudentem moveant ad ferendum de hâc quæſtione judicium. Aliter de excreti tunc ſanguinis indole ſentiendum. Quamvis enim ſat floridus aliquandò videatur, ne tamen ſincerum exiſtimaveris. Uterus corporis fœminei ſentina eſt: pravi corruptique ſucci per hanc viam amandantur, præcipuè menſtrui fluxûs tempore. Ideò tunc ob acrimoniam titillantur fœminæ, & ad Venerem excitantur. Indè in quibuſdam expirans teter odor vinum, & alia benè multa corrumpit. Dùm perverſo rerum non naturalium uſu præpeditur iſte effluxus, retenta colluvies malorum invehit catervam. Adſunt brevi Chloroſis, uterina ſuffocatio, icterus, ſchirri, vomitus enormes, &c. Securiùs, quamvis non ſemper impunè per fœcundationem impeditur. Qui enim humores pravi hâc viâ excerni ſolent, ſi per aliam eliminentur, gravidæ mulieres proſperâ utuntur valetudine; ſecùs, ſi aliter contingat. Hinc nonnullæ, quandiù uterum gerunt, bellè ſe habent, multæ geſtationis initio variè affliguntur, quædam etiam uſque ad partum. Sed dùm fluentibus menſtruis mulier concipit, uterus ſeſe contrahit, ſubitòque fit menſium ſuppreſſio, matri & ſoboli non mediocriter nocitura.

QUÆ ſingulos tollit, toti hominum generi exitialis foret dura lethi neceſſitas, niſi ipſius perennitati generatione conſultum eſſet. Maris, fœminæque copula procreatis fœtibus jacturam decedentium reſarcit. Idcircò in utroque ſexu mira ineſt, & penè ineluctabilis propenſio ad mutuum amplexum, ad quem ut efficaciùs inducerentur, voluptatis illecebris trahi voluit ſupremus rerum opifex. At hominem rationis compotem plus æquo voluptate affici indignum eſt. Ita ſenſibus duci non debet in venereos amplexus, ut libidini imprimis ſerviat, oblitus ſcopi quem ſibi Autor naturæ propoſuit. Ne ergò detur opera liberis quandiù fluunt catamenia: non enim leve detrimentum valetudini afferret hæc incontinentia. In mutuo amplexu utriuſque ſexûs hinc indè exhalant effluvia, quæ è fœminæ corpore in marem facilè penetrant & viciſſim. Inde quæ labes humorum eſt unius, ſæpiſſimè alterius ſanguinem inficit. Uxor phitiſica morbum conjugi frequenrer communicat. Fœda igirùr colluvies catameniis excerni ſolita, & plurimùm infenſa fœminæ cum intus retinetur, non leviter offendet maritum, ſi eâ erumpente Veneri indulgendo virus hauſerit. Multò magis læditur uxor cum fœcundus tunc eſt coitus. Subitò enim compreſſa humorum vacuandorum excretio, gravia accerſit mala. Sive enim ii ſubſiſtant alicubi, ſive intrà vaſa reſorbeantur, & fœtum & matrem malè afficient; graviora erunt, quæ tunc gravidas affligere ſolent, incommoda; quin ſummum eſt periculum, ne morbi quàm plurimi inde oriantur. Alimentum fœtui ſufficiendum vix ac ne vix quidem ſincerum erit, undè imbecillus evadet, & levi de cauſâ ante tempus prodibit. Si prægnans ſtaturum partûs momentum attingat, editus in lucem infans vivet cauſarius, niſi prææmaturâ morte luat parentum culpam.

NON minùs in Veneris quàm in alimentorum uſu modus ſervandus. Si enim his individuorum, illâ ſpeciei conſervationi providetur. In utriſque libidinem explere nulla ſanitatis habitâ ratione, pecudum ritu vivere eſt. Sicut ergò delectationis cauſâ errare in cibo & potu minimè licet, ita Venere abuti rectæ rationi adverſatur. Ideò conjuges culpandi, ſi & ſpeciei & ſuæ ipſorum conſervationis parùm ſtudioſi Venerem exerceant, dùm fluunt catamenia; ſuæ quippè minùs conſulunt valetudini, atque etiam prolis, ſi tunc gravidetur mulier. Hinc eſt quod apud Ezechielem Prophetam inter crimina recenſetur talis coïtus. [a] *Et vir ſi fuerit juſtus & fecerit judicium & juſtitiam, in montibus non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola domûs Iſrael, & uxorem proximi ſui non violaverit, & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit.... Hic juſtus eſt; vitâ vivet, ait Dominus.* Adeò grave peccatum iſtud viſum eſt, ut capite luendum judicaverit Lex Moyſi. [b] *Qui coïerit cum muliere in fluxu menſtruo & revelaverit turpitudinem ejus, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.* Ad malum propenſiſſimis ita oportuit pœnæ metum incutere. At virum probum ſola officii ratio ab eo quod pravum eſt, avertit. Ne ergò parùm ſui potens fluentibus catameniis Venerem exerceat ſanitati infenſam; illùm ſi non reprimat loci fœditas, ſaltèm deterreat ſua conjugiſque & prolis naſcituræ ſalus, quæ hinc in dubium venit. Nam per illam evacuationem pravus corruptuſque humor ſtillat ex utero, hujus humoris portio coïtûs tempore in intima viri penetrans, ipſius ſanguinem inficiendo ſanitatem labefactat. Fœcundatio, quæ præcipuus eſt Veneris finis, non niſi matris & fœtûs periculo contingit, ſubitò coercitâ evacuatione.

a *Cap. 18. verſ. 5.* b *Levitic. cap. xx. verſ. 18.*

Ergo quo tempore fluunt catamenia, noxia Venus.



Proponebat Pariſiis JOANNES DAMIANUS CHEVALIER, Andegavenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1716.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.